



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Homicidio. Consilium DLXXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

Illud quoque potenter A&ori obstat, quod Adriana ejus uxor, ex cujus capite agit, per se quoque intestabilis sit, & jus successionis non habeat, propter Apostasiam, l. *Hi qui sanctam C. De apostat.* quod scilicet relicto habitu sui monasterij, in quo votum religionis emiserat, ad vitam secularem ac matrimonium convolaverit, c. *1. de apostat.* ita quod in omnem eventum ex legitima successionem Mariæ suæ sororis, si quæ esset, nullum ius prætereundum posset: præsertim quia non proferat literas Apostolicas, quibus voti relaxatio, & matrimonij habendi potestas ei permessa fuerit; neque etiam placitum Principis super usu hujusmodi literarum, nec declaratoriam sententiam Iudicis, qui ex stilo Romanæ curiæ delegari solet, super verificatione & cognitione narratorum atque exppositorum pro obtinenda hujusmodi relaxatione seu dispensatione.

Novissimè nec hoc omittendum, quod A&or apertè protestetur se agere ex cessione fratris uxoris suæ Ioannis, cum protestatione, quod alià qualitate hanc litem non instituat: cum tamen in deductione juris sui ex cessione hujusmodi causam non fundet, neque mentionem Ioannis, aut hujusmodi cessionis ullam faciat; eaque ratione se contrarietati involvat, ac petitionem suam improbabilem inextricabilemque faciat, dum quod vult non potest, & quod se posse putat, non vult, l. *In ambiguis de reb. dubijs*: agendo scilicet ex cessione, quam non habet; & deducendo ius ex capite suæ uxoris, cum protestatione, quod ex eo iure agere aut concludere nolit. His itaque rationibus concludimus, secundum Reum ferendam esse sententiam tam quoad abolitionem, quam expensarum condemnationem.

De Homicidio.

S Y M M A R I U M.

De homicidio ex inculpatâ tutelâ.

1. Vulnerans de homicidio tenetur sequutâ morte etiam ex intervallo.
2. Dolus requiritur ut quis de homicidio teneatur.
3. Vulnerans præsumitur magis offendendi quam defendendi studio illatum.
4. Defensio licita est.
5. Probationes imperfectæ prosunt Reo.
6. Fuga in rixa offensionis præsumptionem diluit.
7. Rixosus naturâ pugnam incepisse præsumitur.
8. Fugere qui potuit an excusetur ab homicidio.
9. Fugere cum periculo vite nemo debet.
10. Inimicitie cum nulla præcedant non præsumitur quis dolo malo aggressus.
11. Cognati inidonei testes in criminalibus contra reum.
12. Vulneratus mortuus quando præsumitur ex vulnere decessisse.
13. Causam mortu qui præbet ei mors imputatur.
14. Fuga Rei accusati an probet delictum.
15. Testium numerus per Iudicem restrenari debet, excepta Rei causâ criminali.

CONSILIVM DLXXX.

PRO demonstratione innocentie Domini Bartholomæi Starom de homicidio inquisiti seu accusati per Universitatis Promotorem, paucula ex actis evidenter apparentia, pro sublevando Domini Aggressoris labore, refricanda esse arbitrati sumus. * Et sanè quamvis perinde teneatur pœnâ homicidij, qui vulneravit tantum, si ex vulnere per intervallum sequuta sit mors; atque is qui vulneravit, ut confessum vitâ privetur, qui perierit est, l. *Ita vulneratus § 1. Ad leg. Aquil. l. Nihil interest Ad leg. Corn. de sicar.* * neutro tamen casu homicidij pœnâ constituenda est, si absque dolo malo vel cædes facta, vel vulnus inflatum est; sic ut nec lata culpa sufficiat, l. *1. §. Divus Hadrianus l. In lege Cornelia Ad leg. Corn. de sicar.* omniumque minimè, si iure permittente alterutrum factum sit, l. *Is qui aggressorem, l. Si quis percussorem cum l. §. C. Ad l. Corn. de sicar. l. Gracchus C. Ad leg. Iul. de adult.* Pœnâ (inquam) hęc illa, quæ pro voluntario homicidio imponitur, c. *1. de homicid. l. Eiusdem §. legu Cornelia Ad leg. Corn. de sicar.* hęc illa, quæ pro casuali homicidio statuta est, d. *§. Divus Hadrianus*; utroque enim casu æquum non foret pœnam aliquam irrogari ex facto non planè improbat, d. *l. Is qui aggressorem.*

Nunc itaque quia in ea causa est præfatus Reus ut nihil ei ad dolum, nihil ad culpam imputari possit; consequens esse videtur, ut ab obicæto homicidio absolvatur: nimirum quia Reus neque confessum occidit, ut ex rei evidentia apparet (vicesimo enim die ab accepto vulnere decessit M. Michael Hernert.) neque etiam vulnus sic inflavit, ut propterea in reprehensionem venire debeat; idque ex duj causa, siue quia eas circumstantias habet ipsi factum; siue quia vulnus inflatum in ea causa est, ut mortiferum judicari non debuerit. † Nam quamvis in dubio, deficiente aperta probatione contrarij, præsumatur magis offendendi studio (in quo dolus non potest non esse) quam defendendi animo vulnus inflatum, aut cædes perpetrata, Ioan. And. in c. *Significavit De penitent. & remiss. Bald. in c. De pace tenenda & in l. Vi vim De iust. & iure*; & in eo culpa præsumatur, qui percussit aut laesit, l. *1. §. cum arietes Si quadr. pauper fecit. dicatur, Bart. in l. Ex plagis §. tabernarium Ad leg. Aquil. Gloss. l. Si non convitij C. de iniurijs*: cœne enim quod m icium est, aut in maleficium sonat, iniuste & o seu culpâ actum præsumitur, nisi contrarium probetur, quia est de genere prohibitorum, c. *1. De præsumpt. Bald. in c. Sicut de sent. & re iud.* quia tamen evidentissimè probatum est ex parte Rei Michaellem, non Reum fuisse aggressorem aut provocantē ad pugnam seu rixam, in qua Michael vulneratus fuit, in contrarium agenda est cœnis præsumptio: quia scilicet non offendendi, sed defendendi sui causâ Reus Michaellem vulneraverit, d. *§. cum arietes, l. Quoniam multa C. Ad leg. Iul. de vi publ. & ibi Cynus.*

Licita enim est defensio adversus illatam vim, d. *l. Vi vim*; sic ut debeat expectari usque dum aggressor percussit aut vulneret, l. *Item apud Labencem §. 1. De in i. Gloss. m. l. 1. C. Unde vi & ibi Bart.* Calor enim iracundiæ, in quæ aggressor invalum con-

conijcit, & sui defendendi per omnia jura permis-
sum studiū ad culpā ascribi aliquid non patiuntur,
l. *Quicquid alore De reg. iur. l. Si adulterium cum incestu* §
Imperatores Ad leg. *lul. de adult. Florian. ad d. §. cum arie-*
res; quia defensor propriæ salutis in nullo peccasse
videtur, si percussorem ad se venientem gladio re-
pulerit, d. l. *Si quis percussorem*. Aggressorem autem
fuisse dictum Michaelē utriusque partis testimo-
nio comprobatur. Deponit enim Gissenus
Housius ab utraque parte productus, quod Mi-
chael accurrebat & gladium extraxerat, Reumque
percussisset; quodque Reus tunc necessariō se de-
fendere debuerit: additis plurimis alijs, quæ &
5 Michaelis ferocitiam, & Rei innocentiam apertis-
simē describunt. * Cui soli etiam in hac causa
credendum esset; tum quod eo usus sit Actor, l. *Si*
quis percussorem, tum quod noctu res acta fuerit,
quo casu imperfectiores probationes, argum. l. *Con-*
sensu c. de repud. pro absolutione Rei (cui omnia
jura favent, l. *Cum sint partium de regul. iur. l. Arria-*
nus de oblig. & act. l. Absentem de penus) sufficiant;
accidente potissimum Rei juramento, quod obtu-
lit, & in supplementum probationis etiam in cri-
minali causa recipi solet, *Gloss. in l. t. c. Ad leg.*
Corn. de fidei. & in l. 3. §. quæcumque de iur. & in l.
bonæ fidei De iureiurando. Deponunt id quoque sexta,
undecima, & duodecima respectivē pro parte Rei
producti testes; dum dicunt de blandis verbis,
quibus Reus Michaelis furorē mitigare studuit;
quibus admonuit se esse sacerdotem, non pugna-
torem, nihil mali velle aggressori. Quibus prædi-
cti Gisseni depositio per omnia congruit; qui præ-
dictam Rei blandiloquentiam & dehortationem
amplius explicat in utraque sua depositione: sic ut
unius, in actu ipso præsentis, & aliarum trium in
vicinis domibus exaudientium testimonij, nihil
videatur deesse ad Rei innocentiam ex necessitate
defensionis constituendam. Hujusmodi enim te-
stationes, exclamationes, exhortationes, aliō non
respiciunt, quā quod evidenter demonstrent,
6 Reum omni conatu adlaborasse, ut se ab aggre-
ssore liberaret. * Rursus fuga seu retrocessus Rei,
de quibus deponunt dicti Gissenus, & duæ præ-
dictæ testes, evidentissimum argumentum conti-
nent, Reum invaluū si fugæ enim in rixā
offensionis suspensionem & defensionis præ-
sumptionem indubitatam relinquit, *DD. in l. i. c.*
Vnde vi, & in d. l. Vi vim, l. Scientiam §. qui cum alter
Ad leg. Aquil. DD. in Clement. i. de homicid. Ter-
tiō vulnus Reo à dicto Michaelē in brachio illa-
tum, ut deponunt testes pro Reo producti, defen-
sionis iustam minimeque affectatam demonstrat
causam, & periculi, in quod coniectus erat Reus,
7 *magnitudinem.*

Augetur eadem præsumptio (quod scilicet Mi-
chael, non Reus fuerit aggressor) ex eo, quod pro-
batū sit etiam per dicti Michaelis confanguineos
aliosque testes plures pro parte Rei productos,
præfatum Michaelē post pocula fuisse adolescen-
tem rixosum, molestum, nullique gratum; & hanc
pugnam, in qua vulneratus fuit, accidisse
postquam Michael plus a quo bibisset. Eo enim
constituto, proclivis admodum est præsumptio,
in dubio initium pugne seu aggressionem cepisse
ab eo, qui conditione seu natura rixosus est, *Za-*
Conf. Wamel. Tom. II.

harell. in d. c. i. nu. 33. ex consuetudine enim & mo-
ribus cuiusque, actum metiri ac interpretari
oportet, l. *Vel univ. forum De pig. act. l. Qui semisses de*
usur. l. Non omnis §. à barbaris de re milu. Sic ut concu-
rentibus partim evidenti probatione, partim juris
præsumptione dubitare non oporteat, quin Mic-
hael fuerit aggressor, ideoque secundum suprascri-
pta præsumi debeat Reus defensionis non offen-
sionis causa Michaelē vulnerasse, atque sic extra
omnem culpam & penam esse.

Vnde etiam factum puto, quod pro parte Pro-
motoris excessus inculpatae tutelæ non sit obje-
ctus Reo; qui excessus necessitati defensionis qui-
buldam præponderare videtur, *DD. in d. l. Vi vim*; sed
hoc tantum obijcit, quod Reus potuisset fugere,
sic ut ex severitate Canonum, *Gloss. in d. Clem. i. de*
homicid. Panor. in c. Suscepimus & in c. Significasti cod.
ut. (qui etiam latronem & furem aggressorem
per defensionem, si fugæ locus aliquo modo parer,
occidi aut vulnerari vetant, c. 2. *De homicid.*) Reo
objici possit ad culpam, quod cum potuerit non
fugerit. Sed habet ea obiectio non tantum juris,
sed etiam facti questionem. Potuisse enim Reum
fugere, nemo deponit; & ex aduerso ex circum-
stantijs eorum, quæ Gissenus, & ijs, quæ ab alijs,
qui ex vicinia rixam hanc exaudiverunt, depo-
nuntur, manifestè deprehenditur, fugam fuisse im-
peditam; quod ex doctrina Cardinalis Zabarelle
in dubio satis est, *in d. c. i. nu. 27.* & inter alias cir-
cumstantias sufficit, insultatum fuisse eum, qui se
defendendo alium occidit aut vulneravit, *Za-*
barell. d. nu. 27. Et cum constet Reum retrocessisse
(ut superius diximus) evidens argumentum est,
eā in parte Reum severitati Canonis sese accom-
modasse, & tam diu retrocedendo fugisse, quā
periculum patiebatur. * Neque enim sic restri-
cta & præcisa est fugiendi necessitas, ut etiam cum
periculo fugientis & invali fieri debeat; præfer-
tim si aggressor tergo inflat & immineat, *Bald. in*
l. i. c. Vnde vi, d. §. qui cum aliter; atque ex fuga vel
lappus, aut alterius rei periculum metuitur, *Doct.*
in d. c. Significasti: quemadmodum Reus verè me-
tuere potuit, propter acrem Michaelis instantiam,
& vulnus in brachio Rei illatum. Atque in hujus-
modi terminis restringunt communiter Doctores
fugiendi necessitatem, Canonibus paulo severius,
quā legibus imperatam. Quinimō communi
opinione recepturæ geminem teneri ad fugam
si invadatur; & dum communi & publicæ viæ in-
fluit, iter suum deserere nolit; & defendendo se ad-
versus aggressorem, eum vel occidat vel letaliter
vulneret, *Bart. & Salicet. in d. l. i. c. Vnde vi, Bald. in d.*
l. Vi vim; præsertim si in fugā ullum sit periculum,
Bald. in l. i. in fin. c. De condit. ob turpem caus. & qui id-
vaditur bonæ sit conditionis; prout testes Rei te-
stantur, Reum esse virum pacificum & sacerdotem,
Decius d. n. 12. Panor. in d. c. Significasti. Neque obstat
quod Gissenus deponat Reum potuisse fugere:
nam ut contrarietatem unius ejusdemque testi-
monij evadamus, id intelligendum est, de
facultate fugiendi ante pugnam, & antequam
Michael ferire inciperet; prout aperte idem
Gissenus in sua depositione declaravit; ad-
dens quod postquam pugna incepta fuit, Reus
debeuit se defendere. At de fugā ante periculum
cogitare

cogitare absurdum est: neque enim potuit Reus scire, an Michael eum invasurus esset. Et sane nisi id dicatur, nemo unquam ab homicidio ex capite defensionis excusari poterit, si ante rixam aut pugnam semper fugiendum sit. Prævideri enim sæpe non potest, an imminet invasio, an aggressio; cum viæ publicæ usus nemini sit interdictus, l. 2. §. 1. *Ne quid in loco publ.* & in via publica rixari, tumultus aut insultus exercere, sit prohibitum, l. *penult. in fine de via publ. resic.* sicut Reus licitæ rei operam dando, hoc est viâ publicâ utendo, & adversus vim illatam se defendendo, innocentia præmio, hoc est absolutione, donari debeat; & contra Michael illicitæ rei operam dando, hoc est insultando atque aggrediendo sine causâ, præter vulnura suâ culpâ accepta, legum severitati & poenis subjacere debuerit, *tit. D. ad leg. Jul. de vi publ. per tot. & ad leg. Corn. de fidei.*

10 Ad innocentiam quoque Rei plurimum facit, quod nullæ antecedentes inimicitia inter eum & Michaelen fuerint; atque altero die super vulnere accepto pax inita fuerit, & Michael sibi gratulatus sit, quod cum Reo pacē inisset; nimirū sciens se in culpâ fuisse, ut per multos testes probavit Reus. Ex eo enim evidentissimum sumitur argumentum, in defensione proposita nullum extitisse indicium animi exulcerati, aut propensi ad vindictam, sed dumtaxat ad simplicem & naturalem defensionem, *Gloss. l. 1. c. ad leg. corn. de fidei.* præsertim adversus rixosum aggressorem, *Capolla consil. crimin. 41. nu. 5.* ex cujus pacificatione statim subsecuta malus animus in præsentī aggressionē & vulnerantis bonus animus in defensione colligitur, *DD. in l. post contractum de donat. & doli ac culpæ suspicio in infligendo vulnere diluitur, Capolla d. consil. 31. nu. 7.* in eo, qui (uti testes deponunt) pacificè prius semper vixit. Adtrinxit quidem accusator se ad inimicitarum præcedentium probationem, sed de ijs nihil probavit, quod satis esse possit. * Nam quod mater Michaelis & Gregorio B. pro parte Actoris producti deponunt de inimicijs antecedentibus, & huiusmodi inimicitarum causâ, nihil obest Reo: tum quod omnes, præter Gregorium, qui solus relictus, fidem non mereantur, l. *Interjurandi De testib.* quia huiusmodi cognitione conjuncti fuerunt Michaeli, ut pro eo ne volentes quidem testimonium dicere potuerint, l. *Parentes C. De testib.* & dicendo nimia affectione & cupiditate vindictæ laborasse præsumi debeant, *Bart. in l. lex Cornelia De iur.* cum ad eos proximè ex morte Michaelis dolor pervenerit: tum quod de sua scientia nil deponant, sed de auditu ex relatione Michaelis, cui credi non debuit; quia in propriâ causâ, & ad suam exonerationem id dixisse & declarasse præsumi deberet, l. *Omnes C. De testib.* l. *Nullus eod. tit.* sic ut quâ ratione, & ne morienti quidem in huiusmodi declaratione, fides plena adhiberi posset, ita & multo minus his, qui ex re-

12 citatione illius id attestantur, credendum sit. Illud quoque postremò ad innocentiam absolutionemque Rei pertinet, quod vulnus tempore pugnae inflatum, mortiferum non fuerit, sed facile curari potuisset, *l. in princ. Quib. modis send. am.*

ut chirurgus iple attestatur, cui in eo credi debet, *c. significasti 2. vers. Et quidem De homicid. Bald. in d. c. 1. Quid modis send. am.* quodque Michael illud apertè contemplerit, & nihil sibi nocere protestatus fuerit, atque in illius confirmationem altero die & alijs multis sequentibus per plateas ambulaverit, ac solitum artificium exercuerit, *DD. in l. 1. c. De emendat. servorum.* Et licet non sanato vulnere decesserit Michael: quia tamen non intra breve tempus ab accepto vulnere decessit, sed post vicissimum diem, ut superius dictum est, non est præsumendum, eum decessisse ex vulnere, *DD. in d. l. 1. c. De emendat. servorum.* accedentibus his circumstantiis, quæ in actis pro parte Rei allegatæ & probatæ sunt. Videlicet primò, negligentia & contemptus Michaelis in curando vulnere, de qua præter chirurgum, multi testes deponunt: deinde secundo, mala & inordinata ipsius vita post acceptum vulnus contra præceptum chirurgi instituta; quia probavit Reus Michaelen post acceptum vulnus discurrisse, potitasse, aliæque pleraque, quæ curationi vulneris adversabantur, fecisse. * Et non hoc tantum, sed præterea caput in trabem postea illis-
13 sisse, cum maxima sanguinis effusione: sic ut ex his ipse, non Reus, mortis suæ causam præbuisse reperiatur; sibi quæ ob id exitum mortis non Reo, imputare debeat, l. *Dammum De reg. iur. Bald. in l. Qui occidit, in apostill. ad leg. Aquil. Capolla consil. crimin. 41. nu. 31.* & Reus de occiso teneri non possit, qui ab ipso vulnere quoque ob prædictas causas excusari debet: quemadmodum evenit, ubi uno leviter vulnerante, alius occidit aut letaliter vulnerat, *l. 4. c. significasti 2. l. 1. de vulnerat. & ibi DD. ad leg. Aquil.*

14 Confitentiam Rei novissimè non arguit fuga & latitatio, quam Actor objicit: quia ex aliâ causâ accidere potuit, l. *Neque natales C. De probat.* veluti propter amicorum defuncti merum; prout etiam declaravit Reus, cui in eo credi debet: nam in his, quæ ab animo & destinatione dependent, agentis declaratio recipit
15 *l. in l. Pro barede in princ. De acq. hered. & ut ei non acciderit, tamen quia in genere fuga non probat delictum, l. Lege Cornelia ad S. C. Silanian. late scilicet in c. Nullus de præsumpt.* præsertim eo casu, ubi qui fugitivus dicitur, tandem ultro se iudicio sistit, *Capolla d. consil. crimin. 31. nu. 8.* ut hic evenit, ex fugâ nihil certi constitutum est.

Concurrentibus igitur tam multis pro innocentia ipsius Rei, existimamus partes Magnifici Domini Reëtoris esse, ut Reum absolvat. Et quia Promotor ex præparatoria inquisitione, cujus exemplum habuit, cognovit in eâ conditione fuisse Reum, ut ob vulnus Michaeli illatum accusari non debuerit, existimamus insuper ob temerariam accusationem, & allegatarum antecedentium inimicitarum deficientem probationem, condemnandum esse eundem Promotorem in omnibus expensis huius litis, l. *Eum quem temere & ibi aliter. De iud. in fine, Bart. in l. 1. §. 1. Ad S. C. Turpil. l. Qui crimen c. Qui accusat non poss.* non enim sic favorabilis debet esse fisci causa, ut innocentia damnum aliquod adferat. * Neque hanc condemnationis expensarum occasionem imminuet testium pro parte Rei productorum multitudo, quam Actor Reo

Reo obicit: quia jure communi producendorum testimonium nullus praescriptus est numerus, sed iudicis arbitrio tantum. ¹ a refrananda multitudinis potestas, l. 1. §. fin. ² lib. licetiam ut Canonico intra quadragenarium numerum nullus multitudinis reputetur excussetur, c. Cum causa de testib. ideoque cum hic octodecim tantum sint producti, de excessu & refranandi necessitate non est disputandum. Sed etsi longè plures producti essent, nihil multitudine peccare potuisset Reus. In criminali enim causa ad demonstrandam Rei innocentiam, ex parte ipsius produci possunt plurimi testes; quod tamen accusatori permissum non est, l. 1. §. Si quis ulterius de quæst. Hippol. consil. 39. Rebuff. ad consil. Regas tomo 3. tit. de testib. gloss. 2. nu. 3. Adde quod id quod dicitur de refrananda testimonii multitudine, sic accipiendum sit, ut ne super uno eodemque allegato facto ultra praescriptum numerum producantur; sed si facta sunt plura & diversa, nihil vetat super singulis tot produci, Rebuff. d. tit. de testib. gloss. 3. Unde cum Reus quoddam produxit super antea facta sua vita & moribus, quoddam super Michaelis mala vita, & ad pugnam propensione; alios super his, quæ in pugna acciderunt; alios super pacificatione altero die post acceptum vulnus facti; plerisque super negligentia Michaelis in curando vulnere, item super incontinentia seu intemperantia ipsius; & denique quoddam super renovatione vulneris per allisionem capitis in trabem: nihil verendum est, ne Reo de sua innocentia sollicito, quicquam imputetur in culpam, cur expensarum modus creverit.

De Homicidio.

S V M M A R I U M.

De homicidio inculpatæ tutelæ.

1. Homicidij ordinaria pena.
2. Homicidium ut morte puniatur quid requiratur.
3. Conversatio quando homicidium excuset.
4. Inimicus presumitur fuisse in dolo.
5. Dolus in delicto quando avertatur.
6. Homicidium quibus instrumentis propriè committatur.
7. Iracundia quando excuset a crimine commissi pena.
8. Ebrietas quando excuset a crimine commissi.
9. 11. Pena ordinaria quando mutatur nunquam infigitur pena mortis.
10. Inquisitionis causa leviore penas admittit.

CONSILIVM DLXXXI.

IN criminali causa inquisitionis per Promotorem alme Vniuersitatis Lovanienfis institutæ, adversus nobilem adolescentem Ioannem Georgium à Thauskerchen Bavarum Reum propter vulnus illatum Georgio Havremans Brunswicensi, illiusque mortem decimo sexto die post illatum vulnus sequutam, † nullum periculum ordinariæ penæ homicidij Reo imminere videtur, de portationis, l. 3. §. legis cornelia, l. Qui cadit ad legem Corn. de sicar. mortis, l. 3. c. De Episc. audient. §. item lex Cornelia Inst. De pub. iud. aut ex jure Canonico detractionis in monasterium, aut perpetui carceris, c. Cum non ab homine De sentent. excommunicat. c. Tua Depensis.

Ut enim ordinaria pena homicidij occidenti aut mortis causam præbenti infligatur, necessarium Conf. Wamel. Tom. II.

et, ut homicidium sit voluntarium; hoc est ut qui occidit vel læsit, habuerit animum, propositum, & studium occidendi; directâ voluntate in ipsum homicidium actum, c. Sui dignum §. 1. De homicid. l. 1. §. divus Ad leg. Corn. de sicar. l. Eum qui C. ad l. Cum autem vers. capitalem De adul. edicto, l. 1. Non dubium C. De legib. quia si anteriorum occidendi non habuit, etiam si ex facto mors sequuta sit, penâ ordinariâ puniri, & ut voluntarius hocveida reputari non debet, §. divus. Non enim infliguntur hæc penæ nisi ex dolo; hoc est verâ ac præconcepâ machinatione occidendi; ita ut latâ culpâ factum huic penæ non subijciatur, l. In lege Corn. C. Ad leg. Corn. de sicar. Bald. & Salic. in l. Data opera C. Qui accus. non poss. Decius consil. 482. Pro resolutione nu. 7. & consil. 9. Pro tenu: sic ut Principes hujusmodi homicidia nullo præcedente tractatu nec appensatè facta remittant; non etiam ea, quæ vero dolo committuntur, Aymo Craver. consil. 6. Plura videntur n. 100. Cum itaque ex actis hujus causæ inquisitionis non tantum non constet de dolo Rei, sed constet apertè ejus nullâ dolum, sed culpam tantum circa vulnus Georgio Havremans illatū præcessisse; consequens est, ordinariæ penæ locum non esse.

Constat autè dolum non intervenisse ex personis, ex loco, ex tempore, & denique ex facti qualitate, modo, ac circumstantiis. 3. Etenim conjunctio summa, quæ inter hos duos Georgios fuit, & diuturnior convictus, cohabitatio, & conversatio, Gloss. l. 1. c. Ad leg. cornel. de sicar. Arctinus consil. 80. Sicut decet, de quibus testes deposuerunt, hoc efficiunt, ut præsumptio exulcerati aut offensi animi antecedentis assumi non possit; & multò minùs odij aut malevolentia, quæ plerumque dolum incijere & propositi conatusq; occidendi ansam præbere solet. 4. Inter inimicos facilis est malæ voluntatis ac dolosi propositi præsumptio, non inter amicos, l. 1. c. Si propter inimicitias lib. 10. l. In ipsum & ibi DD. C. Fam. ercisc. Innocent. in c. Cum oporteat. de accusat. inter quos non ipsum factum, sed fraudulentum animi propositum detegit, c. 1. De præsumpt.

Locus quoque doli cogitationem avertit, quod hæc rixa acciderit in communi habitatione, in cenaculo, in quo illicitæ alicui rei nemo operam dabat, sed honestis ac vulgò permixtis lusuibus & choreis se quisque exercebat, l. Qua actione §. Si quis in collatione, l. Item Mela in princ. l. Si ex plagis §. cum pila Ad leg. Aquil. Decius d. consil. 9. Socin. consil. 16. circa prædictum vol. 1. Idque eo tempore, quo ex communi more choreæ duci solent post cenam sublati mensis; Georgio occiso se ipsd lusuibus dedente. Ita ut nulla sit præsumptio mali propositi aut doli inter eos, qui ex porrectâ fronte in mensa ac symposio, ulteriori voluptati, non rei illicitæ operam dabant.

Qualitas sanè, modus ac circumstantia tristicis hujus eventus multo fortius hanc præsumptionem avertunt: ob id, quod Reus neque gladio, neque mucrone, neque sicâ, neque hasta, aut alio instrumento, quod ad occidendum hominem communiter adaptatum est, Georgium invalens aut læserit; quo casu major minusque indubitata est præsumptio doli, quasi usus illiciti, & ad inferendam mortem accommodati instrumenti, occidendi quoque pro-